



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

Widmung

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

ILLUSTRISSIMUM VIRUM  
CAROLUM FERRARIUM TOTIUM  
SENATOREM ROTHOMAGENSEM.

**V**I D E quam sim parum diligens observator ejus artis , cuius arcana hic detego ; quamque male existimationi meæ consulam , qui orationem aurium suffragio non plane improbatam , oculorum quoque judicio subjicere non verear. Cum nihil aequa valeret , ad hanc de me celeberrimi confessus opinionem tuendam , quam latebra prudensque silentium. Sed sane intelligis non licuisse consilio ac ratione tam callida uti , si me ab eorum contra quos dixisset , societate vellem sejungere. Itaque malui famæ qualiscumque possessionem deferere , quam videri eam injustè consecutus. Non igitur te nunc patronum , quod amicitia nostra fortassis non negares , si peterem ; sed judicem volo , qualem te ubique præstas inferenda sententia , incorruptum. Quamquam vereor , ut suspiciosis hominibus persuadere possim , in tam aperta tamque simplici professione nihil latere artis. Qui enim famam ingenii ac doctrina excellentem jure possides ; non potes ejus insidiatoribus non adversari plurimum ; queque adversus illos dixi non probare vehementer : porro necesse est ut quod probaveris , dignum commendatione videatur. Sed suspicentur illi de me , ut voluerint : modo intelligent , in fraudem induci te non posse. Ego quidem scio me laudem à te non optasse consequi : at certe , quin illam promereri studuerim , nunquam diffitebor. Vale. Rothomagi VIII. Id. Decemb. Anno M. DC. LXII.

DE